




Per.
Lat
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. Prostat Parisiis in aedibus
 ◊◊◊◊◊◊◊◊◊◊ Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858. ◊◊◊◊◊◊◊◊◊◊

David Livingstone

ante hos centum annos in pago Scotiae Balantyre natus est. Sollemnia, quae nuperrime in omnibus Britanniae partibus in memoriam viri immortalis celebrabantur, documenta sunt admirationis, gratiae atque amoris, quibus Britanniam nunc afficiunt memoriam Livingstonei, viri intrepidi, qui omnium primus humanitati¹ cultuique¹ Europaeo viā in Africam mediam munitā effecit, ut territoria,² ante aliquot decennia hominibus albis clausa, adiri possent.

A Britannicā Societate paganis³ ad³ Christi³ fidem³ convertendis³ in Africam missus, triginta quattuor annos ibi degebat, triginta quattuor annos, plenos laboris, industriae, humanitatis. Animo forti assecutus est, ut indigenarum⁴ mores mitigarentur,⁵ ut fines eorum hominibus albis



patefierent.⁶ Si chartam geographicam intueris, quae ante Livingstonei tempora facta erat, in Africae partibus interioribus nil nisi ignotas terras sine nominibus vides. Vir ille acie ingenii, animo intrepido, labore indefesso, arduis impedimentis⁷ horridisque periculis superatis, immensa terrarum spatia nobis aperuit, loca a⁸ conspectu⁸ remotissima⁸ — ut ita dicam — in lucem protulit, rerum⁹ naturalium⁹ disciplinam⁹ mirum in modum auxit.

Hic tantus vir ex omnibus laboribus suis nullam percepit utilitatem. Contentiones¹⁰ eius a civibus parum aestimabantur: Societas geographica, Societas paganis ad Christi fidem convertendis, curatores¹¹ ipsi rei¹¹ publicae¹¹ Britannicae minus subsidiorum¹² ei praebebant, quam

1 műveltség 2 vidék 3 hittérítő 4 benszülött
 5 szelidít 6 megnyitják 7 akadály 8 félreeső 9 természettudomány 10 fáradozás 11 kormányférfi
 12 támogatás

ut ea, quae sibi proposuerat, cum bona pace persequi posset. Ipse non solum rem¹³ familiarem¹³ operā suā profudit, verum etiam familiam ipsam: uxor in Africa mortua est prope lacum Nyassam, liberi praeter unam filiam, quae grandaeva¹⁴ in urbe Glasgua adhuc vivit, filii in Aegypto et in America dispersi¹⁵ perierunt. At Livingstone se opus propositum universo generi humano debere arbitratus contentiones¹⁰ acerbissimas tolerare maluit, quam in Britanniam reverti cum Henrico Stanleyo, qui ad eum inquirendum a redemptore¹⁶ actorum¹⁷ diurnorum,¹⁷ quae New York Herald inscribuntur, missus erat. Labore intolerando superatus Cał. Mai. anni MDCCCLXXIII. in pago Africano Chitamba mortuus est.

Corpus odoribus¹⁸ conditum¹⁸ a fidelibus servis summis cum difficultatibus ad litus perlatum Zanzibariā Londinium portabatur, ubi in Abbatia Monasterii Occidentalis (Westminster-Abbey), Pantheon nationis Britannicae sepultum est.

Sollemnibus novissimis expleti, illustrati, confirmati sunt affectus¹⁹ admirationis, quibus memoria viri illustrissimi non so-

¹³ vagyon ¹⁴ idős ¹⁵ szétszórva ¹⁶ kiadó ¹⁷ hirlap
¹⁸ bebalzsamoz ¹⁹ érzelem.




Duo fide datā inter se communia fore omnia, ad bellum proficiscebantur. Horum alter aeger in itinere remansit, alter, ut instituerat,¹ iter ad militiam exsequitur atque ibi re² et gloriā partā redit ad socium, qui iam habebat meliuscule.

Is gavisus rebus³ secundis³ socii, lucrum partituum⁴ secum esse sperat. Itaque cum magna eum laetitia complectitur; neque diu post, ut pecuniam allatam, ita, ut convenisset, divideret, petit.

— Faciam — inquit ille — sed alia etiam

lum a Britannis, verum etiam ab omnibus populis eruditus et colitur et semper coletur.



LECTORIBUS MINIMIS.

Ab anno MCDLIII. usque ad annum MCMXIII.

Anno p. Chr. n. MCDLIII. Mohammed II., imperator Turcarum, Constantinopolim, caput Byzantium imperii cum CLX. milibus militum et CD navibus¹ longis¹ oppugnabat. Sed maxima fortitudine Constantinus IX. Palaeologus, imperator Byzantium eiusque milites urbem ab hostibus defendebant. Quoties Turcae aggrediebantur, toties a Byzantiis pellebantur, quamquam maximā virtute contendebant. Praeterea Christianorum populorum domini maximas copias instruebant, ut crucem a luna tuerentur et summus² pontifex² omnes homines catholicos ad pugnam pro cruce contra «impios»³ provocabat.

¹ hadihajó ² pápa ³ hitetlen

attuli, quae communia esse oportet, ut omnia undique exaequantur.⁵

Ille laetus pretiosam vestem aut suppellectilem⁶ socium apportasse ratus

— Ita enim fieri — inquit — par⁷ est. Sed quidnam praeterea attulisti?

— Vulnere — inquit alter — et cicatrices,⁸ quarum similes atque aequales etiam tibi infigi debebunt.

— Non — inquit ille — haec mihi placet societas. Ac pecuniā etiam carebo potius, quam cum vulneribus ac cicatricibus habeam.

Fabula ostendit prudentes esse homines, qui pro levibus commodis graves labores subire nolint.

G. a Beöthy.

¹ szándékozik ² vagyon ³ jószerezése ⁴ megoszt
⁵ kiegyenlít ⁶ bútör ⁷ méltányos ⁸ sebhely

A. d. IV. Cal. Iunias, LIII. diebus post, quam urbs oppugnari coepta est, Constantinus cum suis in aede⁴ sacra⁴ pro victoria deum precatus est. At supremo⁵ impetu Turcae per⁶ ruinas⁶ iacentis⁶ muri⁶ in urbem penetrabant.⁷


Fortissime pugnantes plurimi milites et Constantinus interfecti sunt. Deinde victores crudeles maximam caedem⁸ civium fecerunt nec senibus nec mulieribus nec liberis pepercerunt⁹ et per tres dies capta urbs a militibus praedae¹⁰ cupidis¹⁰ direpta est.

Ex eo tempore luna super urbe Constantinopoli cernitur,¹¹ aedes⁴ sacra⁴ in Mohammedanam aedem mutata est. Mohammed, qui cognomen¹² Expugnatoris acceperat, urbem ipsam imperii caput¹³ fecit.

Turcae antea omnibus populis terrori erant. Quoties invadebant¹⁴ patriam Hungarorum! Immo partem eius per centum quadraginta quinque annos oppressam tenebant. (Sed ea erant semper humanitate erga victos, quae carnificibus¹⁵ crudelibus Haemimontanis¹⁶ exemplum esse possit.)

Quis non audivit de Nicolao Zrinyi,

qui ad urbem Szigetvár gloriosam mortem¹⁷ pro patria occubuit!¹⁷ Non solum Hungariae periculum erant, sed etiam Austriae, cuius capiti¹⁸ bis minabantur!¹⁸



Aliter nunc est! Turcae potentiā iam pridem deiecti, ultimo bello magna detrimenta¹⁹ ceperunt, quibus fieri potest, ut brevi tempore maximam partem terrarum, quas in Europa possident, amissuri²⁰ sint.

Ernestus Flinker,
Czernowitzensis.

⁴ templom ⁵ «döntő» ⁶ nyílás ⁷ behatol ⁸ öldöklés
⁹ kegyelmez ¹⁰ zsákmányra vágó ¹¹ lát ¹² mellék-
név ¹³ főváros ¹⁴ megszáll ¹⁵ hóhér ¹⁶ balkáni
¹⁷ meghal ¹⁸ fenyeget ¹⁹ kár ²⁰ elveszít.

Scriptor quidam visit⁹ amicum, qui habet filiolum sex annorum.

Illo ipso tempore ambulare paravit familia, puer vestiebatur.

Scriptor audit vehementer lamentantem puerum, qui summis viribus reluctatur¹⁰ servo vestituro.

— Quid vult puerulus? — rogat hospes matrem.

— Iste bracas¹¹ sibi induere non vult — respondet domina. — Novas autem ei non induo, quia eas brevi inquinat.¹²

— Sed Stephane — ait scriptor exprobrans.¹³ Quī tam malus esse potes!... Hae quidem bracae pulchrae sunt...

Puer iratus inter lacrimas declaravit:

— Non induo bracas! Ab iis abhorreo.

— Sed quā de causā?

— Nam in illis multa verbera¹⁴ insunt.

R. Kucsera.

Cum Benedictus pontifex¹⁵ maximus¹⁵ crearetur, etiam mater aderat, ut eum salutaret. Aulici¹⁶ dominum adulatori¹⁷ feminae pauperi persuaserunt, ut vestem caram induta ad filium iret.

Cum mater intrasset «Haec non est mea mater — inquit Benedictus; — mater mea mulier pauper est. Non, hanc feminam ignoro.» Mater tum verbis filii intellectis vestem simplicem induit. Cum illam simplici veste indutam conspexisset, matrem complexus exclamavit: «Haec est mater mea!»

St. Fehér (Temesvár).

⁹ látogat ¹⁰ ellenkezik ¹¹ nadrág ¹² bepiszkít
¹³ szemrehányólag

¹⁴ verés ¹⁵ pápa ¹⁶ udvari ember ¹⁷ hizeleg.

Friderici Schilleri carmen «Mit dem Pfeil, dem Bogen».


(Cantum Gualteri Tellii in dramate «Wilhelm Tell», act. III., 1.) latine et graece reddidit *Guil. Lehmann* Vratisl.

Tela nec non arcum Δι' ὀρεινῆς τόξον
Gestans pervagus φέρων σὺν οἰστῶ
Montes transit mane βαίνει ὁ τοξότης¹
Sagittarius¹ ἄμα τῇ ἔφ.

Auris² ut pro rege Ὡς αὐρῶν² ἱππίνος³
Milvus³ imperat, ἔστιν ὁ κρατῶν,⁵
Per silvos saltus⁴ οὕτως τοξοφόρος¹
Ille superat.⁵ ἄρχεῖ τῶν ὀρῶν.

Quidquid caedit te- Πᾶν τὸ εὖρος⁶ τόξῳ
Praeda⁸ strenui, [lum, ὑποχείριον,⁷
Quidquid volat, re- ἄγρευμα⁸ τὸ ἔρπον⁹
Est arciferi.¹ [ptat,⁹ ἔστι καὶ πτηγόν.¹⁰

¹ íjász, vadász ² aura levegő ³ kánya ⁴ hegyeség
⁵ uralkodik ⁶ messzeség ⁷ hatalmában van ⁸ zsák-
mány ⁹ csúszik ¹⁰ repül.



Adolphum Venturi Italum, artium¹ liberalium¹ peritissimum esse inter omnes constat. Vir doctissimus, qui plurimos iam annos in his rebus occupatur, maximam sibi gloriam paravit opere suo, quod de arte Italica in lucem edidit. Ad hunc diem septem volumina prodierunt, octavum ab omnibus artium liberalium studiosis vehementissime desideratur, quia de artificiis saeculi XVI. agit, quod saeculum magnum artis appellatur.

Nuperrime de hoc volumine edendo verba fecit eruditissimus Venturii alumnus Galassi, cuius explicatione legentium animi non² mediocriter³ movebantur. Omnes enim iudices³ artis parietes⁴ domus⁵ argentariorum⁵ Perusinorum⁶ tectorio⁷ opere⁷ a Petro (Vannuccio) Perusino inductos esse docebant. Qui quamquam unus omnium pictorum

maximus idemque magister Raffaelis erat, tamen ab hoc discipulo longe superabatur. Nunc, ut Galassi tradit, Venturi illam



picturam, quae nomine Prophetarum et Sibyllarum notissima est, a Raffaele Santio confectam esse affirmat. Idem doctor artis picturam opus adulescentiae Urbinatis⁸ clarissimi demonstrat.

Non est mirum, quod argumentatione Venturii clarissimi, quae de pictorum clarissimorum operibus agit, summa admiratio in re publica artis peritorum mota est.

¹ szépművészet ² nagy mértékben ³ bíráló ⁴ fal
⁵ pénzváltók háza (il Cambio) ⁶ ma : Perugia ⁷ freskó
⁸ az urbinói (Raffael).

Gallus. IX.

Scriptis G. A. Becker, in Latinum convertit —il.

Prædium¹ in felicissimo agro Falerno, quod paucis ante annis a Gallo emptum erat, cum amoenitate² naturae² tum ubertate agrorum et salubritate³ coeli³ insigne fuit et rusticantibus⁴ omni tempore anni dulcissimas iucunditates parabat. Via, quae a ponte Campano cursum⁵ ad flumen Savonem flexit,⁵ modo occurrentibus silvis coarctata⁶ iucundissimas euntibus umbras praebebat, modo pratis floridis latissime diffundebatur,⁷ quo amoenissimus prospectus patebat ad montes Auruncos et villas, quae gratissima varietate Viam Appiam ornabant.

¹ birtok ² szép fekvés ³ egészséges éghajlat ⁴ falun tartózkodók ⁵ fordul ⁶ megszükkít ⁷ kiszélesedik


Latissimi agri ad praedium pertinentes flumine Savone divisi, alterā parte fere ad Viam Appiam, alterā vero usque ad vitiferos⁸ montes se extenderunt, ubi via a Suessā ad Teanum ferebat. Praedium e duabus villis, rusticā et urbanā, coniunctis exstitit, quae locis praedii disiunctissimis et maxime diversis silae erant.

In villa rustica omnia ad⁹ usum⁹ spectabant.⁹ Ad ipsum aditum prioris areae,¹⁰ ut omnes intrantes observarentur, erat villici¹¹ modica cella, cui adnectebantur¹² reliquae, in quibus proventus¹³ et¹³ redditus¹³ anni, imprimis oleum, vinum et frumenta recondebantur. In interiore area cerneret oves pastas¹⁴ et boves ad stagnum¹⁵ congregatos nec non argutos¹⁶ anseres anatesque, qui in stagno aquis¹⁷ salientibus¹⁷ conspersi gingrientes¹⁸ natabant. Praeterea tota cohors¹⁹ avibus omnium generum scatebat.²⁰ Erant hic gemmei²¹ pavones, phoenicopteri²² pennis rubentibus, gallinae cum pullulis²³ Rhodiae et Numidicae guttatae,²⁴ quin et pulli phasianini, quos gallina, ovis fraude villicae¹¹ substitutis,²⁵ excluserat²⁶ et nunc trepida tuebatur. Iuvabat²⁷ videre gallinas, cum villicam ex sinu²⁸ cibum obicientem avidae sequerentur et cacillando²⁹ pullos allicerent; interim ex turribus et columinibus³⁰ villae turba columbarum inter pascentes volucres praecipites devolabant. Adde, quod magna multitudo palumborum,³¹ turturum³² et turdorum³³ arte captorum in aviariis inclusi aluntur.

Haud minorem percipies voluptatem, si hortum olitorium³⁴ post villam late extentum aspexeris. Humus refossa divisa est in areas³⁵ sic subactas³⁶ et informatas, ut manus runcantium³⁷ ad dimidiam partem latitudinis earum pervenirent. In quibus olera³⁸ omnium generum virent. Asparagus,³⁹ qui rubentibus stilis⁴⁰ vix solum⁴¹ perumpiebant, variant lactucae⁴² cum virides Caecilianae, tum flavescentes et capitatae Cappadocae. Hic in longis areis³⁵ brassicae⁴³ mittunt teneras cymas⁴⁴ plebi aequae ac superbo regi expetitas, ibi cucumeres,⁴⁵ melopepones⁴⁶ et cucurbitae⁴⁷ crescunt. Longos sulcos⁴⁸ vestiunt porra,⁴⁹ caepae⁵⁰ vel diversa genera herbarum aromaticarum. Sed quis est, qui persequi possit

ordines malvarum, intuborum,⁵¹ fabarum, lupinorum⁵² multorumque aliorum olerum.

Horto olitorio adiacet pomarium. Invenias hic diversas arbores omni genere pomorum onustas et quocumque inciderint oculi, re-



ficientur.⁵³ En insitiva⁵⁴ pira et Crustumia cunctis gratissima et Falerna suco abundantia et Volema pondere et amplitudine libralia⁵⁵ dicta aliaque sapore iucundissima nec non diversa genera mālorum, imprimis melimela⁵⁶ a sapore melleo, dein māla Armeniaca et Persica. Aspice ingentem turbam prunorum⁵⁷ citius aut tardius maturrescentium. Neque cerasi desunt, quarum prima a L. Lucullo, imperatore Romam translata esse dicitur et ficus dulcibus fructibus onustae. Sed omnium maximam admovet admirationem arbor multis modis insita,⁵⁴ alio ramo nucibus, alio bacis;⁵⁸ piris, ficis mālorumque generibus referta.


Tamen multo maiorem voluptatem capies, si contentam et hilarem familiam videris, quae non iussa persequi, sed quasi suam rem⁵⁹ familiarem⁵⁹ tueri⁵⁹ videtur. Ex benignitate et aequitate, qua servi a villico omnia

8 szőlőtermő 9 a gyakorlati hasznót szolgálja 10 udvar
11 ispán 12 sorakozik 13 termés 14 kövér 15 itató
16 hangos 17 szökőkút 18 gágog 19 (baromfi-)udvar
20 hemzsege 21 ékes (farkú) 22 flamingó 23 csirke
24 pettyes 25 alája csúsztat 26 kikölt 27 jól esik
28 «kötény» 29 kotkodácsol 30 tető 31 vadgalamb
32 gerle 33 rigó 34 zöldséges 35 ágy 36 feldolgoz
37 gyomlál 38 zöldség 39 spárga 40 szár 41 talaj
42 saláta 43 káposzta 44 hajtás 45 uborka 46 dinnye
47 tök 48 barázdá, sor 49 párhagyma 50 hagyma
51 endivia 52 farkasbab 53 felfrissül 54 oltott 55 font-
56 mézalma 57 szilva 58 (olaj)bogyó 59 gazdaságot folytat

diligentissime curante tractentur, facile intellegas clementiam domini, qui inhabiles⁶⁰ servos potius amovebat, quam quos catenatos vel compedibus⁶¹ vinctos laborare patitur. Itaque cuncti res suas strenue et impigre obibant et vespere post negotia peracta ad focum amicum properabant, ut circum renidentes⁶² Lares⁶² de rebus diei gestis inter se colloquerentur et ex multis laboribus conquiescerent.

Huiusmodi erat condicio villae rusticae adventū Galli, qui, ne montem Massicum ambiret iterque incommode per Suessam Auruncam faceret, huc cursum direxit. Gallus, quamquam libentissime exceptus, diutius nunc remorari⁶³ noluit, quia laboribus itineris defessus lavari et cibo recreari desiderabat. Iter igitur sine ulla mora ad praetorium⁶⁴ perrectum est.

⁶⁰ ügyetlen ⁶¹ bilincs ⁶² barátságos házi istenek
⁶³ késlekedik ⁶⁴ úrilak.



Booth, Exercitus Salutis praefectus, qui nuper mortuus est, maxime adamaverat studium liberorum servandorum. In quibus primos duxit Britanniae et Americae proletiorum¹ liberos neglectos. Hos in parvam rem publicam voluit consociare, in qua ipsi magistratus suos crearent. Quae cogitatio proxime in Canada ad² effectum² perducta² est. Exercitus Salutis in Canada agros coemit, in quos liberorum 11—16 annos natorum coloniam³ deduxerunt.³ Coloni iuvenes in simplicibus domibus habitant, quas ipsi aedificabant; ipsi res⁴ domesticas⁴ curant⁴ et ruri et in culinis,⁵ etiam vias aedificant. Ex ipsorum numero etiam sacerdotes eliguntur, qui dominicis diebus certa ratione sacra rite perpetrant, non sine cura sacerdotum adultorum. Ex proletariis parvulis aegrotis, pallidis, male nutritis valida, sana progenies adolescit, fiducia plena, quae

facultates⁶ libere excolere poterit, pulchritudine vitae gavisus, gaudium et Dei, et hominibus et ipsis.

R. Kucsera.

Magistratus Cracovienses admirabantur, quod duo discipuli multum pecuniae dissiparent.⁷ Postquam lege⁸ interrogati⁸ sunt, a lictoribus domicilia eorum perlustrabantur, ubi de copiis⁹ disponendis descriptiones,¹⁰ adnotationes de pontibus aliisque rebus militaribus repertae sunt. Manifestum erat discipulos explorando¹¹ quaestum¹¹ factitare.¹¹ Dum enim in custodia sunt, ex Russia summa pecuniae per cursum¹² publicum¹² eis allata est. Cum alterius captivi pater contra filium astitisset, ita eum allocutus est: Quod Russia tam diu Polonorum gentem servitute oppressam tenet, tu debitum¹³ reddere¹³ tibi videris, cum te flagitii pretio sceleratissimis illis vendis!...

Tum filium execratus¹⁴ abiit. Magistratus ad proditores ceteros comprehendendos dispositionem¹⁵ instituerunt.

Georgius I., rex Graeciae a Graeculo perditissimo, nomine Schinas in urbe Thessalonica ex¹⁶ insidiis¹⁶ interfectus est. Rex, qui pr. Cal. Novembres quinquagesimum regni¹⁷ auspiciati¹⁷ diem celebraturus erat, cum impiā manu sicarii¹⁸ annum agens sexagesimum octavum necatus est.



Regi successit filius Constantinus XII., qui anno 1868. natus est. Uxorem duxit Sophiam, imperatoris Germanorum sororem.

In Dalmatia legio peditum XXXIII. exercitus Hungaro-Austriaci stativa¹⁹ habet.¹⁹ Ob belli rumores copiae Dalmaticae confirmabantur, quae autem cunctae castris capi non poterant; itaque in tuguriis²⁰ angustis

¹ szegény ² valósul ³ gyarmatot létesít ⁴ gazdálkodik ⁵ konyha ⁶ tehetség ⁷ költ ⁸ kihallgat
⁹ csapat ¹⁰ terv ¹¹ a kémkedést üzletszerűen folytatja
¹² posta ¹³ fizet ¹⁴ elátkoz ¹⁵ vizsgálat ¹⁶ oroszva
¹⁷ trópralépés ¹⁸ orgyilkos ¹⁹ állomásozik ²⁰ barak



collocatae sunt. Quadam nocte rupes a monte discedens²¹ in tugurium decidit, ubi milites dormiebant. Rupe delapsa, quae assiduis imbribus relaxabatur, quattuor homines necati, quinque graviter, sex leviter vulnerati sunt.

Iosephus Garnet Wolseley summus dux Britannici exercitus octogesimo aetatis anno mortem obiit. Intererat expeditioni Tauricae, anno 1867. in Canada oppressit Indianos rebelles, anno 1874. Aethiopes. Deinde Cypriae insulae, tum provinciis Africanis praefectus est. Anno 1882. in Aegyptum missus indigenas²² seditiosos superavit. Duobus annis post praefuit expeditioni, quae in Aethiopiam²³ ad Gordonem ducem servandum profecta est. Sed ibi eventu²⁴ caruit, quia Gordon a rebellibus necatus est. Wolseley nihilominus imperator exercitus Indici, mox totius Britanniae factus est. Nunc tota Britannia exitum viri fortissimi luget.

Hadrianopolis, urbs Turcis sanctissima hostium facta est. Quae clades magni momenti est ad totius orbis terrarum historiam. Vetustas enim gloriosa cum fortitudine et oppugnantium et propugnatorum nunquam evanescet.²⁵

Urbem Hadrianus imperator eo tempore condidit, cum opibus imperii Romani corrumpentibus²⁶ omnium oculi orientem solem spectabant. Prope urbem Constantini caput extulit urbs Hadriani, quae magis magisque aucta atque exulta Turcorum animos in se convertit. Muradus anno 1365. ultimo Graecorum domino extruso²⁷ hanc urbem imperii sui caput fecit. Centum fere anni elapsi sunt, cum Turci etiam Constantinopoli potiebantur.

Num alterius saeculi²⁸ spatio²⁸ terminabitur,²⁸ dum Constantinopolis Christianorum futura est? Ni ominibus tristibus fallimur, temporis spatium brevius erit. Quasi iris caelestibus contactus sit miser populus Turcorum, cuius viribus et nos CXLV annis oppressi tamen semper virtutem magni ducebamus.

In America Septentrionali venti²⁹ turbinibus²⁹ maxima calamitas facta est: fluminum magnorum aquae ex alveis³⁰ excutie-

bantur, incendiis vehementissimis integrae partes urbium debebantur: ad duo milia hominum perierunt, officinarum³¹ operis³¹ intermissis³² milleni quaestu³³ quotidiano carent. In urbe Daytoniana vis mali maxime sentiebatur. Regio enim urbis negotiationibus³⁴ frequentissima³⁴ paene tota flammaram victima facta est. Primo incolae universi regionis periisse putabantur, sed paulo tardius servati nuntiabantur.

Procellā²⁹ et inundatione³⁵ omnia remedia ignium irrita³⁶ cadebant. Sontes,³⁷ qui se e custodiis proripiebant, per urbis vias furantes et latrocinantes³⁸ vagantur. Magistratum vis ad eos reprimendos non sufficit.

Ubique conspiciuntur mulieres amplexae³⁹ proles suas in domorum tectis salutem expectantes. Frigoribus miserorum dolores augentur. Sed non est dubium, quin potentissima gens Americanorum viribus sociatis brevi tempore calamitate oppressis auxilium latura sit.

²¹ leválik ²² benszülött ²³ Szudán ²⁴ siker ²⁵ elhalványul ²⁶ megrokkán ²⁷ kiszorít ²⁸ egy századba kerül ²⁹ szélvihar ³⁰ meder ³¹ gyári munka ³² abbahagy ³³ kereset ³⁴ kereskedelmi ³⁵ árvíz ³⁶ hiábavaló ³⁷ gonosztevő ³⁸ rabol ³⁹ átölel.



Ioannes et Christophorus, ambo milites, nocte quadam caliginosissima,¹ sociis amisissis, aliquo inter se discreti intervallo,² incertum iter tenebant. Repente Ioannes clamavit:

— Christophore, Christophore, unum ex hostibus cepi.

— O te beatum, duc ad me captivum!

— Nae ego ducerem, si duci vellet.

— Atqui sine hominem et veni!

— At, at... captivus non vult me emittere.


«Scriptor Latinus».³

Vector (in currum⁴ viae⁴ ferratae⁴ intraturus): Arca Noë completa esse videtur!

Alius vector: Non tota, asinus deest, intra!

I. Schlammdinger (Alba Regia).

¹ sötét ² távolság ³ Ann. IX. num. VII. ⁴ vasuti kocsi.



I.

Omnia sunt in me sita, devitare¹ nequis me ;
 Vertice² mutato nec non idem maneo.
Nunc iterum mutari potest mihi littera prima :
 Me procul esse cupit, qui diu vivere vult.
L. Böhm (Keszthely).

II.

In manibus sceleris³ telum sum perniciosum ;
 Retrorsum⁴ lege me : rivus ero Siculus.
Idem.

III.

		1	2	3			
		a	a	a			
		a	a	a			
1	a	a	c	c	c	c	d
2	e	e	e	e	i	i	m
3	m	n	n	n	n	o	o
		r	r	r			
		s	s	s			

Litterae in hac figura ita disponantur, ut in lineis — et perpendicularibus⁵ et aequilibribus⁵ — appareant
 1. insula, 2. urbs Siciliae, 3. regis anti-quissimi adiutrix.
G. Lhm (Vrsl.).

IV.



¹ kikerül ² fejtető, első betű ³ vétkes ember ⁴ visszafelé ⁵ függőleges, vízszintes.


Solutiones aenigmatum numeri 13.

I. Obsequium amicos, veritas odium parat. — II. Socrus. — III. Annum agens octogesimum quartum vitam posuit. — IV. Gallia Cispadana.

Aenigmata recte dissolverunt: *B. Bertier* (Parisi), *N. Cieszyński* (Leopolis), *A. Cseh* (Gyulafehérvár), *St. Fehér* (Temesvár), *R. Fink* (Vindobona), *I. Glück* (Leopolis), *M. Herman* (Leopolis), *S. Horváth O. Cist.* (Agria), *S. Jakubowski* (Leopolis), *S. Kalpa*

(Helsinki, Finnia), *T. Kindler* (Leopolis), *M. Kordzik* (Leopolis), *F. László* (Szászváros), *C. Lesmann* (Cibinium), *T. Mačkiw* (Stanislaopolis), *G. Mödlinger* (Budapest, III.), *C. Ninger* (Vindobona), *P. C. Peltenburg* (Soeterwoude ad Lugd. Batav.), *I. Rybczyn* (Stanislaopolis), *R. Schroth* (St. Gabriel ad Vindob.), *A. Schwimmer* (Temesvár), *P. Szentgyörgyi* (Budapest), *Gisella Tarczay* (Zagabria), *R. Trydrych* (Leopolis) *P. Trojnar* (Leopolis), *Laurentia Tvarůzek* (Mähr-Weisskirchen), *T. Vuia* (Temesvár), *A. Weisz* (Cibinium), *A. Zólyomy* (Budapest), *P. Zsombory* (Claudiopolis).

Praemium Carolo Ninger adiudicatum est.



Qui numeros Iuventutis non acceptos repetit vel pecunias mittit, adeat redemptorem (Budapest, VIII., Szentkirályi-u. 28.), quia moderator (Budapest, IX., Üllői-út 71.) tantum concinnandam Iuventutem curat. Qui pretium subnotationis nondum solverunt, rogatos esse velim, ut pecuniam quam primum ad redemptorem mittant. — Exterarum gentium socios oro, ne ignorent Budapestinum sedem et caput incliti regni Hungariae non in Austria situm esse.

Druit. Emunctae naris homo mihi esse videris, qui puro sermone Latino uteris. Fac sciam, quis sis. — *De incursione Hunorum* et *Gladius* in numero ultimo per errorem Carolo Poscheno Gretiensi attributa sunt, verum Hugo Simchen ea nobis miserat. Quod hoc loco corrigendum esse duximus. — *Andreas Sch.* (Kalocsa) Citius mitte solutiones, quam ultimam, quae mihi eo ipso die reddita est, quo et in Iuventute typis exscripta prodiit. — *Ghitia* (Vespasianus). Prodiit iam anni II. num. 8. Qua vales arte pingendi, aliud mittere potes? — *E. Blau*, *A. Cseh*, *G. Horay*, *R. Kubiček*, *P. Trojnar.* Solutiones aenigmatum num. 12., quas mihi misistis, tarde mihi reddita sunt, itaque nomina vestra in tempore typis exscribi non poterant. Paulo citius mittite litteras vestras, lectores carissimi! — *P. F.* (Leopolis). Fac mittas solutiones aenigmatum, quae Iuventuti mandasti. — *G. Kerényi.* Ad me venias velim, ut de opusculo, quod mihi misisti, tecum agere possim. — *Nicolaus Szegedy.* De numeris mittendis adi sodes redemptorem (VIII., Szentkirályi-u. 28.) Quod suscepisti, difficillimum est, tamen conatum laude dignum. Oratione soluta experiaris scribere. — *De deceptis Germanis.* Latine parum salse mihi esse videtur. — *Alexander W.* Tibi idem dixerim, mi fili. — De reliquis proxime.

Moderator ephemeridis **STEPHANUS SZÉKELY DR. Budapestini, Üllői-út 71.,** ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.